

Z ð
6125



6

C

III
N

S
G

rw



QK. 323.

v. Starschedel

Ze
6125

NOBILISSIMO VIRO
OTHONI STAR-
SCHEDELIO HEIN-
RICI FILIO,

*Illustriss. Prin. ac Dom. D. CHRISTIA-
NI Saxonie Electoris &c. Consiliario, &
Torgensis, Liebenverdensis, & Mulbergensis,
Dioceseos Praefecto,*

Atque

SOPHIAE LVCELBUR-
GIAE, Antonii Luzelburgii: Regis Gallia-
rum, Saxonie Electoris D. AVGVSTI, D.
VVILHELMI FRIDERICI, & D. IOHANNIS
*Germanorum Fratrum Saxonie Ducum Leg-
gati, & Consilarii &c. res-
lictae Filiae.*



*Nuptias III. Nonas Febru. Vinaria celebrata
tibus Melos hoc EPITHALAMION
observantiae honorisque era
gò dedicabat*

M. IOHANNES FRAXIJEVS
Tyrigeta, Poëta Coronatus.



MELOS NVPTIALE.



Antanda nuptis sacra jugalia:
Tu Christe mentem, tu numeros dato
Aptè cadenteis, namque primus
Conjugii pepigisti amores,

Me forma nuptæ, me gravitas movet
Otthonis excellentis, & an prior

Laudandus, aut sacrandæ nympha

Ambigo sit Lyrico Sophia.

Nam dona in uno conveniunt thoro

Selecta, splendor, nobilitas, pudor:

Doctrina solers, rerum & usus,

Viuida vis animi exsequendi,

Atque apta Marti dextera, quis neget

Ambobus Odam? mellea quis mele?

Et dignus Ottho, cui Iehova

Contulit ingenium expeditum,

Prudensq; valdè rebus in arduis.

Hoc sensit Ilmus, cæruleusque idem

Miratur Albis, quandò causas

Explicat in trabea decora

Prefectus acer, fidam operam locans

Septem viro, cui nominis incluti

Augusta vox, sceptrum & parentis

Imperio moderatur æquo.

A 2

Accepa

Acceptum ab almo Numine, quod penes
Regna ordinare, aut demere purpuram,
Ostrumque fulgens, nam Iehovæ
Munus & imperium elocare.
Sed quò canentem me rapit impetus?
Iam rauca ad Ilimum cornua perstrepunt,
Clangorque miscetur tubarum:
Ad sacra templa iubent vocatum
Ex parte qua vis nobilium virum
Agmen Mysorum, & Tyrigetum elegans,
Comitumque pulchrè, & purpuratum:
Et diademata colla circum
Horum ambiunt, quæ nobilium nota est,
Parteque virtutis decora incluta.
Iam prodit illustris corona,
Et comitantur Othonem ad arcem.
Omnes Othonem attentè oculis notant,
Atque ora vertit vulgus in hunc virum:
Eccum inquit effulgentem? ut ille
Ingreditur radianti ab auro?
Gemmisque, segmentato habitu elegans?
Pictoque amictu? cui nitet aureis
Distincta filis, unionum
Ingenio SOPHIÆ corolla
Conserta? vertex cuius Iaspide
Iralucet, aut victrici Adamante vi

Flamma.

Flammarum? ut incedit decore
Lucifero similis vir iste?
Septem vir hunc in deliciis habet:
Huic **CHRISTIANVS** magna negocia
Committit aulam in prepotentis
Cesaris expedienda acute.
Hec vulgus, & sunt iudicia omnium.
Sed pompa quanam magnifico gradu
Incedit? hac sponsa illa dicunt,
Cui celebratur Hymen, thorusque
Iam preparatur, mater ut in manum
Sponsa adferatur, gentis honos no v.e,
Domusque fiat: tale murmur
Fertur in ore rudis popelli.
Huic insusurrat, non facile enitet
Par nympha voltu, fronte, oculis, manu,
Colloque formoso, en labellum
Purpureum, atque genas rubenteis?
Nam qualis Aurora orta jugalibus
Exit d. coris, & tenebras fugat:
Sic Sponsa deducta a duobus
Fratribus egregijs **OTHONIS**
Effulget altè: quam nitidus chorus
Vtrinque claudit, tempora floribus,
Geminisque opertus, cui ve vestis
Syrmate verrit humum fluenti.

A 3

Non

Non culta sic olim Hermione fuit,
Ideque, non sic Antiope elegans,
Non Tyndaris sic, qualis una
Fulgurat in medio Sophia.
Ceu manè Phœbus cūm jubar exserit,
Illustrat ortu summa palatia:
Sic Saxo **WILHELMVS** serenæ
Pacis amans, decori coronæ est
Toti, secundus cui locus obtigit
A sponso, & **ERNESTO** eximio duce:
Clauditque fraternum Iohannes
Dux latus, alter honos **SUSANNÆ**
Matris serenæ, ac delictum suæ.
Hanc summus Elector trabeâ potens
Gentis Palatinæ columna
Progenit **FRIDERICVS** olim.
Iam ventum ad ædes contiguas ducum
Castro, Syrinx dat disparibus sonos
Inflata cannis, percrepanteis
Harmonicos numeros per arcem,
Quàm pulchra amica est, vox juvenum intonat,
Et totus acclamat chorus: à sono
Echo resultat ter, refertque
Fornice verba iterata curvo.
Iam veste pastor conspicuus sacra,
Adduci ad aram molliter innuit;

Sponsus


Sponsum decorum cum Sophia
Magnifico ingrediente cultu
Causas, & ortum coniugii explicat
Sanctè ordinati, vota sacerrima
Perorat, & commendat uni
Fortis Otho tibi habendam amicam.
Hanc in clientelam adserit intimam
Dextrâ sacerdos, vota que nuncupat
De more solenni, in vocando
Numinis auxilium sereni.
Felix, & inquit, sis ter, & amplius,
Irrupta quem nunc copula vinciet
Caræ illigatum nuptæ amore:
Cui favor annuit ipse Olympo,
Imbrem adpluendo gratiæ amabilis,
Ignemque in horum pectore mutuum.
Hoc omne continget, lehoram
Cui studium colere, & vereri.
Tu jura subjectis dabis arbiter,
Effultus altâ sede, negocia
Magna explicando. namque honores
Sunt onera, atque trahunt labores.
Sophia at uxor, palmitis in vicem
Curam administrans gnava domesticam,
Te mole fessum, te laborum
Molliter expediet Chimerâ.

Torrebis

Torrebit unum te face mutuâ,
Viuesque magno rege beatior:
Hæc tecum obire, & mallet ævum
Ducere, ceu placitum Iehovæ.
Oliua ramos ceu tenera explicat,
Circumque fundit brachia: sic tuam
Mensam coronabunt puellæ,
Et pueri ore venustiori.
Hæc tanta cælo commoda depluunt
In vos Syonis culmina, quos amat
Iehova, quem cælum, marisque
Imperium tumidi extimescunt.
Iam vota cessant. iam lepidis jocis
Conviviisque, & magno epulo datum
Vacare, frontem ipsam explicare,
Atque agitare choros decenteis.
Quid multa? Delphinus caput occulit,
Equosque Titan Oceano lauit:
Toratio pulcro apparâtus
Lectulus, excipiet cubanteis
Vos una amicè desine mollium
Iam Musa. parcè lusibus est datum,
At non amoris meta vestro:
Crescat is, & sine fine duret.
Defessa cantu jamque Erato lyra
Inter flagranteis seposita rosas,
Caput reclinauit: quietem
Sponse QITHO cum Sophia capeisse. Melos

MELOS EPITHALA

mion alterum.



*Eterna Majestas bene consulens
Rebus creatis, edocuit satis
Sit quantus ipse, & quantum obiret
Imperium moderator orbis.*

*Namque is sagacis vim sapientiae
Abscondidit clam vel minimis sua:
Pulchroque nexu copulando
Coniugii speciem ordinavit.
Est hoc videre in corporibus super
Nos collocatis, aethere, & aëris
Tractu: hæc amico conjugata
Federe amicitiae perennis
Stant, & feruntur Numinis optumæ
Nutu, & potestate liberrima:
Determinatum vinculum hisce
Omnibus, atque locus manendi.
Sic ignis orbi contiguus levis
Lucis supernæ, limite clauditur
Viciniore, quo morantur,
Æëris, atque ineunt per amplum
Pactum. annotamus talia ceteris,
Terram inter, ipsumque Oceanum patrem.*

B

Vnde

Vnde ista? responde, Iehovæ
Hoc sapientior administrat.
Trina illa Majestas, eadem unica:
Contrariis ex corporibus simul
Connexuit molem elegantem,
Disposuitque suam occupare
Sedem, unde sese non moveant, nisi
Turbata vi sint. conjugij omnibus
His rebus exemplum adnotasse
Artificem statuamus orbis.
Sic inter ipsas ardor amantium
Est qualitates, primaque semina:
Divinior res forma, cuique
Indita, nec licitum hanc videre.
Hæc necitit inquam fædere, copulans
In jus amicum, & conjugium velut:
Gaudetque, delectatur ipsa hæc
Proximiore gradu locari.
Hoc Spiritus divi indicium satis
Illustre, & argumentum operis sui:
Nam qualis ipse est, talis huius
Divina operatio, inexplicanda,
Semota, nulli cognita. ni Deus
Adflando amico lumine proferat
Mysteriorum singulorum
Semina, & effigies repostas,
Formasque:

Formasque recludat sapientiæ
Abstrusioris. Numinis hoc opus
Augustioris, maxumique,
Ordine quæque suo incitantis.
Abs hoc latens vis, mutuus & calor
Rebus creatis inditus omnibus,
Paucisque notus, ni sagacis
Ingenii faculâ eruatur,
Admotâ ab alto lumine vivo.
Hæc vita demum est, & studium inclutum
Res in latentis, comparatur
Eloquii nitor hinc poëtis.
Verùm remota hæc longius à scopo.
Recurro: carmen ludere conuenit
In magni honorem ter Iehovæ,
Conjugibusque benè adprecari.
Cùm staret admiranda palatii
Aula ista, nullo fornice, vel trabe
Suffulta, fortunatus Adam
Tunc erat effigies Iehovæ.
Deerat voluptas, delictum ac suum,
Vni huic negatum ludere compari.
Exin Iehova ipse in senatu
Consilium meditatus altum.
Missoque in artus somno hominis, latus
Recludit, & costâ ædificat viro

B 2 Augus

Augustiori formâ amicam.
Profiluit nova par virago
Carni parentis voltu, habitu, ore par.
Miratus adductam sibi ab optumo
Rectore, concepit medullis
Continuò faculam, novusque
Exarsit ignis viscera permeans.
Mox iste amicam sanguine de suo
Agnoscit, & donum Iehovæ
Accipit, inque sinum recondit.
Tunc primùm amoris flamula amabilis
Erupit, astrorum edita semine.
Plaudente & æbrâ, perbeato
Purus Hymen celebratus horto.
Tunc inquam Hymen sese aureus extulit:
Sertumque nuptis complicuit Charis:
Evanque Adamo copulavit
Conjugio stabili Iehova.
Concentus auditus peramabilis
Luco in virenti: atque harmonicum sonum
Edere nuptis gratulantium
Alituum genus, & ferarum.
Dos terra, dos ampla, Oceanus novis
Collata nuptis. his dominamini
Vos inquit, & concessus usus.
Vos modò Numen habete nostrum
Honore

Honore in ampio, vos reverentia
Tangat lebova, & magnificentia
Parere cogat sponte: regi
Obsequium facile expedite.
Sic nunc Adamo qui fuit in patre
Conflict. in amante, & mutuum amoribus
Pensante amorem, mansit ardor
Intimus, inque latet medullis.
Nec prodit hic se, ni fuerit sibi
Obiecta forma, & conveniens suae
Respondeat formae latenti,
Effigiesque animo offeratur.
Externa quam forma illiciat suo
Splendore, visum firmet, & impetum
Accendat intus, dignitate
Corporis ad numerum eleganti.
Nam convenire in mutuum amoribus
Pectus necessum, & vincier arctius
Amborum in unum, seque tangi.
Par sibi namque parem cooptat.
Deliberasti haec tecum animo diu,
OTTIO ipse, lumen nobilium, thoro
Aptam elegisti, ipsam elegantem
Moribus eximij SOPHIAE,
Hec certat uni tota in amoribus,
Desiderat te vulnere faucia:

B 3 Te

Te corculum ardet, deperitq;
 Molliter, & cupit irrigari.
 Factum virile hoc. & pietas jubet,
 Divaeque leges. Posteritas tibi
 Cura, atque avorum praeotentum
 Amplificare genus celebre.
 Exemplum in illis, quod sequeris, datum:
 Rectè. adminiclo sunt duo & in vicem:
 Sic vivet exemplar tuorum
 In sobole, & redi viva surget
 Gens ampla. nam ceu flama agit ignea
 In rem capacem, tædaque mollior
 Allambit amplexu, trahitque
 Materiam sibi competentem.
 Nec gente nympha est inferior, tibi
 Par certè, & antiquo genere edita.
ANTONIVS cui non peritus
 Militie genitor puella,
 Perspectus? in certamine Martio
 Sæpè hic timendos diruit impetus
 Dux irruentum, demetendo
 Corpora multa virum timenda.
 Et Galliarum fidam operam locans
 Regi, expedi vit militiam impiger
 Turbare turmas, & ferocem
 Mittere equum medios per hostes.
 Expertus

Antonius Lu
 zelburgius pa
 rens sponse.



Expertus Ilmus consilium viri
Multos per annos, namque vicarius
WILHELME vester, donec ipse
Imperium acciperes Magister.

Est nota virtus, notaque dignitas
ANTONII. Septem vir honoribus
AVGVSTVS huncce ornavit, atque
Militiæ caput approbavit,

Inter virentis canicie viros,
Rerumque prudentes, equidem manus
Huic apta bello, militemque
Se dabat impavidum in duello.

HARSTALERorum ducit originem
E gente mater sponsæ adeo suam,
Quæ foeta ad extremos Vierra
Tyrigetum secat amne fines.

Quæ Sponsi a vitum laude feram genus?
Multo minorem me fateor libens,
Vincit canentem laudum opima
Materies generisque fulgor.

Quis non avum hujus noverit inclutum
DIETREICHVM, & aule præcipuum decus?
Septem viri cui pacis aureæ
Nomen erat, simul & IOHANNIS?

SAXO ille, quo constantior haud fuit:
Quem Cæsar admiratus, & extulit

Catharina Har-
stallerina mater
sponsæ.

Dietreich v.
St arschedel
avus Divi Io-
han. Friderici
Electoris Saxo-
niæ præfectus
aule.

Virtutem.

Virtutem ob altam, liberumque
Restituit patriæ, suisque.
Hic SAXO OTTHONIS plurimum adunum colens,
Amore ditem Numinis, omnia
Concredidit, provinciamque
totam. adeo eximium approbat.
Atque eminentem moribus integris,
Et mente celsâ. religio aurea
Curæ huic LUTHERI, Chimeram
Oderat Arctolycei dolosam,
Suasum trabendam in dia palatia,
Compressit unus voce suâ viros
Vab tunc labanteis, aureeque
Adseruit pietatis arcem.

Heinricus v. HEINRICUM Otthonis prætereo lyrâ
Starschedel Pater Patrem eminentem. munus is arduum
ter. AVGVSTI in aulâ sustinendo

D. AVGVSTI Præfuit ingenio virili,
Electoris Saxoniae præfuit acer defuit haud suâ
Aula. Virtute, Otthonem progeniem inclutam
Post se reliquit, præferentem
Lampada, a visque suis honorum
Laudem arrogantem. deficeret prius
Me lux canentem. gloria deprimit
Me vatem Otthonis, vincit hujus
Ingenium, meriti que honores.

Nec

Nec CARL Ovvicum matrem ego nobilis
Lumen pudoris gente satam efferam.

Matrona vivit, dico ELISA,

Atque honor exsequias coronat.

Lustrata Othoni nobilis Italia

Musarum opimis divitiis, solum

Et molle Gallorum, Britannos

Vidit & Oceano remotos.

Quid cantem Othonis difficileis vias

Belgarum in oras? quidve iter arduum

Longinqua per regna? haud laborum

Pœnituit juvenem excitatum.

Quò compararet vim sapientiae.

Legati obiit sepè tui vicem

VVILHELME SAXO, quò salutè

Consuleret patriæ labanti.

Nunc ergò Othonem tot meritum inclute

Dux ad volantem lato animo excipis,

Et frater illustris IOHANNES

Prosequitur, patriæ columna.

ERNESTVS hospes se comitem exhibet

Illustris idem stemmate Saxonum

Heroum, ut & vos, sanguis ille

Vester, honos patriæ futurus.

Adeste nuptis, ducite gaudia

Concessa, cum nunc hora jocos data,

C

Est feris

*Est feriandum: plus laborum
Vita alias dabit hæc molesta.*

F I N I S.

III. Non. Febru. Ao. C. N.

M. IO. XIC. ad Salam.

Ad novos nuptos.

Nobilis Otthoni Mysorum nupta marito
Flori equidem, ast animo ille nobilis suo.
Nec minus ingenio, quàm gēte superbit a vitâ,
Cōtulit huic pulchrū docta Minerva dec9.
Nūc Hymenæe faces præferto ad cādida tēpla,
Quæ vitreâ allambit garrulus ilmus aquâ.
Tàm benè viminib9 connectit vite corymbos
Agricola ad Sala flumina nota sagax.
Tàm benè frundosâ circū sua brachia quercū
Uatum edera cingunt gloria Pièridum.
Tàm benè odorifero miscetur Cinnama Amo
Tàm benè Puniceis lilia odora rosis. (mo:
Tàm benè cū Baccho feliciter exit oliua:
Sic Clymene Phœbum deperit agra suum.
Sic Adamas ferrū, paleas sic succina adaptāt:
Sic benè miscetur pura farina vadis.
Sic in-

*Sic inter plantas connubia cernis, & hasce
Servare inter se fœdera amicitia.
Sic love sub verno Zephyris adflâtibus aurâ,
Concipit halanti semina terra sinu.
Sic soror auricomi se lumine vestit amico
Fratris: ab hocce suū fulget adepta jubar.
Sic cuscuta comis variabilis implicat, herbæ
Vicina irrepens proximioire gradu.
Flumine sic salices, sic gaudent fontibus alni:
Sic plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Sit precor, & vivax duret concordia lecto,
Disturbet licitum nulla querela torum.
Ottho suâ Sophiâ, Sophia amplexetur Ottho-
Inque pari flamâ certet uterque vicē. (nē,
Tandē inter lusus, suspiriaque hausta medullis
Parvulus exsiliat spes nova gentis, Ottho.*

FINIS.

AD SPONSVM.

*O*TTHO iborum ingreditur, SOPHIAM amplexurus ocellum:
Gloria Misniacæ gentis, bonosque sua.

VOTVM.

*S*piritus omnipotens duo corpora neclat in unum:
Moribus & sobolem donet habere parem.

Erphordia Typis Georg. Baw. excusa.

Ze 6125 *OK*

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like "Sic", "Ergo", "Quia", "Propterea", "Unde", "Itaque", "Quare", "Idcirco", "Proinde", "Unde", "Itaque", "Quare", "Idcirco", "Proinde"]

FINIS

AD SPONSVM

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

VOTVM

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

5m




Handwritten text on the left edge of the page, including words like "sic", "Flam", "sit", "O", and "m".

ULB Halle 3
004 365 925





B.I.G.

Farbkarte #13

QK.323.

v. Starschedel

Ze
6125

NOBILISSIMO VIRO
OTHONI STAR-
SCHEDELIO HEIN-

RICI FILIO,
Illustriss. Prin. ac Dom. D. CHRISTIA-
NI Saxonie Electoris &c. Consiliario, &
Torgensis, Liebenverdensis, & Mulbergensis,
Diocæseos Præfecto,

Atque
SOPHIÆ LUCELBUR-
GIAE, Antonii Luzelburgii : Regis Gallia-
rum, Saxonie Electoris D. AVGVSTI, D.
VVILHELMI FRIDERICI, & D. IOHANNIS
Germanorum Fratrum Saxonie Ducum Leo-
gati, & Consilarii &c. res
licta Filia.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)